



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**SELECTA=||RVM DECLAMATIONVM || Philippi Melanthonis,
quas con=||scripsit, & partim ipse in schola
Vui=||tebergensi recitavit, partim alijs recitandas
exhibuit.|| TOMVS ... ||**

Melanchthon, Philipp

1559

VD16 M 3567

De dignitate Legum, quarum & est, & futurus est usus, etiamsi magnæ fuerunt, & nunc sunt, & impendent rerum humanarum mutationes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34734

ORATIO DE DIGNITATE
Legum. M. D. XLIII.



Sitatum est hoc loco, in
his spectaculis aliquid de
gum dignitate dicere, ad quod
rum reuerentiam certe ex
tari homines maximè pro
dest. Etsi autem & ego de e
dem argumento dicere ca

pio, tamen quo sepius de imperijs, de uita gubernatione, de legibus & iudicijs, quæ sunt nervi gubernationis, tranquillitatis, et disciplina, cogit, eo mihi difficilius est eligere ex tanta mole rerum quod dicam. Primum enim quæ difficile est respondere Cyclopum & Centaurorum opinioni, qui tanta confusione rerum humanarum, hoc totum quod uocamus legem, & politicam sapientiam, dicunt inane nomen esse, ut & armis rapi imperia, et regi arbitrijs potentum tantisper dum tenentur. Nam ut uetera exempla omittam, quid Turcia barbaries ullas leges curat? Progreditur quod potest & ui oppressis imperat quæ libet. Ante centum annos Constantinopolis florentissima schola nostrarum legum: Nunc procul pulsa hac doctrina, omnia unius tyranni nutu, aut barbari alicuius

Vbi Centauri
ibi confusio,
nulla sapientia

ducis reguntur. Sic cū orbis terrarum dilacerare
 tur ab Alexandri satellitibus, quæ ibi legum uox,
 quæ doctrina politica usquā audiebatur? Cum igitur
 magis rabie Tyrannorum & arbitrijs poten-
 tum omnia geratur, quis locus est sapiētiae, et no-
 stræ politicæ arti? Nec enim illud imaginandum
 est, nostrā artem similē esse militari, quæ nunc ho-
 stibus, nunc ciuibus seruit, et utrinq; iniustis cupi-
 ditatibus operam locat. Alia res est hæc politica
 ars, seu iuris doctrina, nusquā locū habet, nisi in
 tranquilla ciuitate, & in eo consilio, quod ad nor-
 mā iustitiæ suas sententias accommodat. Vt Athe-
 nis donec Solon præfuit ciuitati, ualuit legum au-
 thoricæ. Romæ legum reuerentia mansit, donec
 Augustus uixit, sed utroq; loco breui post oppres-
 si sunt ciues Tyrannide, et leges conticuerunt, ut
 Solone uiuo, Pisistratus rapuit dominationē, post
 Augustum, mox Tyranni aliquot quàm crudeli-
 ter grassati sunt in Rempub. Hæc exempla sæpe
 mouent etiam magnos homines, ut aut nullum,
 aut exiguum usum esse nostræ doctrine arbitren-
 tur, qui quidem dictum illud Ciceronis in ore ha-
 bēt: Inter arma silent leges. Marius dixit, se legū
 uocem inter classica & tubarum sonos non audi-
 uisse. Et Nazianzenus de Iuliano inquit: volunta-
 tem principis esse ius nō scriptum. Vt igitur ipse

Aut lex, aut
 tyrannis.

Marii uox.

S V meum

Vsus legum
perpetuus.

meum animum, & si quos fortasse alios confirmet,
refutare illam uituperationē nostrae doctrinae in-
fuitui, & ostendam & esse, & futurū esse usum hu-
ius artis, etiamsi magnae fuerunt, & nunc sunt,
& impendent aliae rerū humanarum mutationes,
nec nobis studium abiiciendum esse, sed eò magis
colendum, ut conseruetur. Ac primū consuetu-
mus esse artē politicam: Non enim frustra Deus
indidit humanis mentibus leges naturae. Harum
explicationē uoluit extare in literis et monumen-
tis sapientum, hāc uoluit esse imperiorum et iudiciorum
regulam, quae non propterea nihil est, etiamsi
multae aliae res gubernationē interturbant.

Simile ab arte
medica.

Vt ars medica uera, est diuinitus tradita, & salu-
taris humano generi, etiāsi corpora humana non
tantum medicae artis praeceptis reguntur, sed saepe
occultis, aut subitis causis leduntur, quae pro-
uideri non possunt. Ita nostra ars uera est, diuini-
tus monstrata generi humano, & salutaris, etiāsi
aliae res accedunt, quae hāc sapientiam saepe reprimunt.
Lacerantur imperia interdum fatalibus po-
nis, uel Diaboli furore & tyrānorum cupiditati-
bus: Cedit talibus temporibus sapientia politica.

Quid enim loci erat bonis uiris, cum triginta
Tyranni tenerēt Athenas? Et quia saepe uiolentia
dominatur, & multae existunt subitae, & impro-
se ma-

se mutationes, Epicurei putant res humanas casu
 ferri, et tantum quemque; obtinere posse, quantum ^{Deus inspecto}
 ualet potentia. Sed nos, qui in Ecclesia Dei insti- ^{generis huma-}
 tuti, certo scimus Deum esse inspectorem & iud- ^{ni.}
 cem uniuersi generis humani, sciamus imperia ne
 que oriri, neque interire casu. Deinde hac nos con-
 solatione maxime sustentemus. Et si concutit De-
 us aut euertit imperia, tamen ecclesiam suam non
 finit funditus deleri, & haec, ut maneat, dat hospi-
 tia, conseruat connubia, procreationem, educati-
 onem, contractus, literas, doctrinam de caelo tra-
 ditam: Esse igitur coetus legibus iunctos necesse ^{Politiae nauae}
 erit. Quare etiam si multa incidunt tempora, qui ^{periti pericli-}
 bus politica sapientia parum habet loci, ut in se- ^{tantur.}
 uissimis tempestatibus nauae periti uincuntur,
 tamen donec erit Ecclesia, coetus erunt legibus
 iuncti, hos si regerent indocti, sine certo iure, si-
 ne literis & eruditione, quales tenebrae essent ui-
 tet: ac redeo ad exempla superiora. Solon leges
 tradidit Atticae ciuitati, quae etiam si non sustu-
 lerunt omnia uitia, tamen contractus & iudi-
 cia quadam humanitate rexerunt, & uolunta-
 tes ciuium coniunxerunt. His legibus ad Roma-
 na tempora annis plus quingentis ciuitas usa
 est. Etsi autem interea urbs bello Persico in-
 censa, & deleta est, cum ciues essent in nauibus,
 & uxo=

Robur legum
in tempestati-
bus.

Tyrannis ini-
mica legibus.

Et uxores et liberos abdidissent inter scopulos
marinos, tamen non propterea Solonis leges fue-
runt inutiles, quæ et antea in pace tranquillitate
retinuerant, et aliquantò post, rursus instaurant
ciuitatē. Nec illud urbis incendium, et si lignæ
tabulæ cōsumpsit, propterea leges delere potuit,
quæ infixæ animis ciuū tum maximè ualuerunt.
Hac disciplina instituti ciues, norant barbaricos
mores non esse admittendos, norant dimicandum
esse coniunctis uiribus pro defensione libertatis,
hoc est, disciplinæ et honesti status, et ob hanc cau-
sam omisis priuatis certaminibus, concordiam in-
ter se tuebantur, extabāt leges, et quotidie earum
exempla spectabantur in factis Themistoclis, Ar-
stide, Cymonis, et aliorū honestorum ciuū. Ita
cum Roma à Gallis caperetur, nō propterea Re-
pub. deleta est, etiamsi ædificia incensa sunt: Man-
sit enim uirtus et disciplina ciuū à legibus orta.
Hæc presidio et saluti sunt ciuibus: Etiāsi Nero
aliquātisper latrocinium inter ciues exercuit, ac
oppressis legibus etiam Iurisconsulto Casio Lon-
gino oculos effodit: Etiāsi Bassianus fratre neca-
to, etiam Pampinianum Iurisconsultum nolentem
prætextus fingere ad excusandum parricidiū in-
terfecit, tamen non propterea in uniuersum dele-
tæ erant leges. Ne funditus periret humanum ge-
nus,

nus, Deus adhuc politicum ordinē apud aliquos
 tuebatur, erāt alicubi in prouincijs Magistratus
 mediocres, qui legū uocem audiebant. Non amit-
 tenda est igitur doctrinæ professio, etiā si aut bel-
 la, aut Tyrannides aliquantisper eius usum impe-
 diunt: Imò bona ingenia hoc pugnent ardentius,
 de uerarum legum defensione, quia uident in tāta
 infirmitate humana, in tanta cōfusione earum au-
 toritatem sepe, tum negligi, tum opprimi. Ideo
 tradidit Deus humano generi artem politicam, et
 hanc ipsam doctrinam, ut quantum potest, sanabi-
 les homines ad iustitiā flectat, et iniustos impetus
 reprimat. Nihil mirum est eos, qui ignorant cau-
 sas harum confusionum in imperijs, nec didicerūt
 ex celesti doctrina, quomodo cōfirmandi sunt a-
 nimi, uehemēter odisse imperia, in quibus rarò bo-
 ni præsumunt, et ut sunt mediocres, imò boni et sapi-
 entes, tamen multitudo est uarietas negotiorum,
 non concedit eis, ut in omnia sint intenti. Pom-
 pei iustitiam et integritatem amabāt prouinciæ,
 ut cum secum duceret mulros rapaces comites, ta-
 men has iniurias propter beneuolentiā erga Pom-
 peium dissimularent. De Dauide etiam querelæ
 sunt filij. Deniq; amentia est in hac natura huma-
 ne imbecillitate, et in tanta Diaboli seuitia, quæ
 uere animo politiam, sine uitijs et sine erroribus.

Ut igitur imperia oderunt hi, qui causas confu-
 sionum nesciunt, ita & leges adspernantur. Cum
 uident eas multis ingentibus malis non mederi, et
 hanc totam doctrinam uitæ inutilem esse censent,
 sed nos monet cœlestis doctrina, oriri multas in-
 gentes confusiones uitæ, cū à Diabolo, tum ab hu-
 mana uel negligentia, uel petulantia. Nec posse
 gubernatorum consilijs, ac legibus reprimi omnia
 furoribus, aut corrigi. Et tamen inter has diffi-
 cultates non esse gubernatoribus curam deponen-
 dam, nec inutilem esse eorum diligentiam: Sed
 quedam mala, uel reprimere, uel mitigare. Iube-
 item Deum inuocari, ut adsit huic difficillimo la-
 bori, et quidem monet sine auxilio Dei, sapientia
 illam politicam sepe hallucinari, et exitiosam
 esse ciuitatibus. Quam multi summis ingenijs
 præditi, cum quidem patriæ bene uellent, tamen
 suis consilijs euerterunt Respub. quia freti sua
 sapientia, res mouerunt non necessarias, ut Peri-
 cles, Demosthenes, Pompeius, Cicero. Tota uita
 erramus, si sine Deo fœlicem esse sapientiam arbi-
 tramur. Hac igitur consolatione nos confirmemur,
 præsertim in his orbis terrarum periculis,
 et labante tota mundi machina, sciamus ruere res
 humanas, et tamen fulciri hanc ruinam à Deo, et
 bonos uiros debere suo quenq; loco anniti, ut pro-
 sint

Sine Deo sapiē-
 tia hallucina-
 sur.

sint communi saluti. Hæc in presentia duxi commemoranda esse. Nam mihi aspicienti legum libros, et cognita pericula Germaniæ, sæpe totum corpus cohorrescit, cum reputo quanta incommoda sequutura sint, si Germania propter bella amitteret hanc eruditam doctrinam iuris, & hoc curiæ ornamentum. Crescent Tyrannides, erunt omnes literæ in maiore contemptu, Ecclesiæ magis negligentur, denique multiplex barbaries sequetur. Quare primum oremus Deum, ut pacem nobis concedat, deinde ut hæc studia tueatur, quod quidem cò magis impetrabimus, si nos ipsi consilia nostra fideliter ad gloriam Dei illustrandam, et salutem communem referemus. Non igitur deterreamur periculis, non frangamur animis, etiamsi interdum, uel iniquitate hominum, uel perturbatione communi rerum humanarum, pia, moderata, salutaria consilia impediuntur, nec possessionem studij nostri deseramus, ipsi præsertim, cum labor multorum nostri ordinis in consilijs publicis etiam Ecclesiæ Dei seruiat, quam cum Deus seruaturus sit, seruabit & politicas artes Ecclesiæ seruienteis. Non ideo Architectonica deserenda est, etiamsi multæ artes, uel bellorum cladibus, uel alijs modis euerantur. Tuendæ & colendæ sunt bonæ artes, &

petena

Politici seruiat
Ecclesiæ.

petendū à Deo, ut ipse gubernet studia, et exiliū
 det utiles ecclesie sue. Quid Daniel, Esdras, Ne-
 hemias exules fecerunt? uiderant templum, quod
 Deus condi iusserat, funditus deletum esse, uide-
 rant urbem regnam omnium solo æquatam, cui
 promiserat Deus regnum, neq; tamen fracti de-
 ratione, sua studia abiecerunt: imò ne in exilio,
 in ea gentis dissipatione, doctrina propria Eccle-
 sie interciderat, maiore eam diligentia & disco-
 bant, et suis tradebant, norant enim non interru-
 ram esse Ecclesiam Dei. Ita et nos uota nostra
 spes nostras, ad ecclesiam Dei adiungamus, hanc
 intueamur, et hac spe nostra studia colamus: Hanc
 nauis et nostrā doctrinam uehat, et uehet hanc
 biè, si nos hanc nauim ornare studebimus. Possunt
 autem optimè mereri de ecclesia nostri ordinis
 ri: Cum mentes principum à quibus consuluntur
 ad curam defendendi pia studia, et artes salutari
 humano generi flectunt. Dixi pauca de profession-
 bus. Sed priusquā desino, etiam hic cœtus schola-
 sticus de suo officio commonefaciendus est. Sepe
 in concionibus sacris, sepe in lectionibus prop-
 nuntur uobis diuinæ sententiæ, de disciplina, de
 nis moribus, de pœnis quæ uiolationē disciplinæ
 sequuntur. Et pœnæ sunt in conspectu: Turci in
 punè grassantur in uicinia, distractæ sunt primi

Nauicula Eccle-
 siæ.

Cohortatio ad
 pietatem et do-
 ctrinam.

et exim
 dras, Ne
 lum, qu
 esse, uil
 atam, ca
 facti deli
 exilio, p
 oria Beo
 & disci
 n interm
 nostra O
 mus, ha
 mus: He
 et hand
 s. Possu
 ordinis
 fulunt
 salutari
 professio
 us schola
 is est, sep
 bus prop
 lina, de
 disciplina
 Turci in
 ant primi
 pu

pum uoluntates, Germania nō defenditur, imō &
 domesticū bellū satis crudele, tum gerit tū parit.
 Si he tantæ causæ non mouent uos ut uiuatis mo
 destius, ut confugatis ad Deum? quid mea oratio
 proficere potest? quid nos de legū dignitate apud
 eos concionari possumus, qui ut Cyclopes, neque
 Deum neq; leges ullas curāt? Pudet talia dicere in
 schola, quæ debebat nō solūm audire, sed etiā cole
 re uirtutis doctrinā. Si esse Deū conditorē rerū,
 & iudicē factorum nostrorū sentitis, afficiamini
 monitis celestibus, ipsum autorē rerum, et iudicē
 uestrū agnoscite, et ei in his officijs quæ legum uo
 ce requirit, obedite. Videtis à Deo ordinatas esse
 uices dierum ac noctiū, æstatis et autumnū: Has ui
 ces esse certas omnes fatemini, cur igitur depre
 miijs recte factorū, et de pœnis malefactorū dubi
 tatis? Certa lege Dei obruūtur pœnis omnes sce
 lerati. An casu putatis subijci iā mundū barbari
 ce tyrānidi Turcarū, qualis alia nulla similis un
 quā fuit? Nequaquā hoc casu accidit. Sed hoc tri
 p̄ carcere, hominū furor coercendus et cōpescen
 dus est, qui nullis legibus frenari suos mores sinūt,
 qui cōcedi sibi licentiā, ut beluæ uolunt, exercēdæ
 petulantiæ ut libet. O deplorandā principum negli
 gentiam: His malis mederi eos oportebat, ut hanc
 indomitā turbā seueri sintis pœnis ad modestiā re

Vices præmio
 ram & pœnas
 rum.

T uocam

uocarent, quod nisi tandem facient, Deus iratus
 has gentes seruitute Turcica opprimit, sed re-
 ad scholasticos, Obtestatur uos hic uniuersus
 tus preceptorum uestrorum, & precipit uos
 uina, ut et reuereamini Deum, et uiuatis modo-
 us, eaq; in re cum uestra saluti, tum communi-
 sulatis. Nisi enim erunt modestiores mores, pro-
 Et hæc bona, lucem doctrinæ de Deo, Ecclesia
 leges, literas, et cætera uitæ ornamenta amissi-
 estis. Quæta bona amisit Adam uno lapsu: Quo-
 diu Ethnici in tenebris, et horrendis sceleribus
 uixerunt: propterea quod eorum maiores spre-
 rant doctrinam primorum patrum. His exem-
 uos ad pietatē et modestiā excitate, quod si fac-
 tis, non solum dignitatem legum uerè intelligetis,
 sed etiam in gubernatione eritis scælices: Deus
 nim promittit suis sapientiam et successus. Ita-
 telligetis leges esse Dei uocē, et hunc politicum
 dinem à Deo, et institutum esse, et aliqua ex par-
 te conseruari, ut in societate humana innotescat
 ipse, et nos copulati mutuis officijs, testimonium
 stræ sententiæ, de Deo et de filio Dei, et mutua
 beneuolentiā ostēdamus, nosq; mutuis exemplis
 ad uirtutē accendamus. Ad hæc intelligenda pro-
 Et opus est, ut dixi, quodam studio uirtutis, timore
 Dei, modestiā, et diligentia regendorum morum

Dixi,

Ornamenta ui-
uæ.

Vox Dei leges.